



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVII. [Diluitur argumentum Vndecimvm.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

est, quia relatio non dicit perfectionem quatenus est ad aliud, sed quatenus est aliquid ad aliud. In Deo autem illud aliquid relationis, identificatur cum essentia, & proinde relatio in Deo non dicit aliam perfectionem, quàm ipsam essentiam, quæ est vna.

Et hinc est, quòd cùm dicimus in Deo esse tria entia, aut tres res, aut tres substantias, aut tres personas, semper addimus, vel subintelligimus relatiuas, & nunquam multiplicamus, aut numeramus absoluta, quia sola relatio est eius naturæ, vt veram afferat distinctionem sine multiplicatione perfectionum, quia ratione sui, A D, habet oppositionem, & proinde distinctionem; & tamen ratione ipsius, A D, non dicit perfectionem: quatenus verò perfectionem dicit, cum essentia identificatur. Vide Anselmum lib. de incarnat. cap. 3. vbi dicit Patrem & Filium posse dici duas res, modò per res, relationes, non substantiæ intelligantur, & Concilium TOLETANVM XI. cap. I. vbi legimus in relationibus numerum cerni, in diuinitatis verò substantia, quid enumeratum sit, non inueniri. Vbi enim verus numerus admittitur, ibi necessariò plurà entia admittuntur.

CAPVT XVII.

NON DICIMVM argumentum. Intelligentiæ & voluntatis actiones, immanentes sunt, ac proinde steriles, vt Philosophus docet lib. 9. Metaphysic. textu 16. non igitur aliquid producant. At si Filius, & Spiritus sanctus non producantur per intellectum, & voluntatem, nullo modo producantur. non enim facile explicari potest, quo alio modo producantur; & cur duæ tantum personæ producantur, & cur vna Verbum, altera Amor dici solet.

RESPONDEO, actiones immanentes, ac proinde intelligentiæ, & voluntatis actus, quos intellectionem & dilectionem appellare possumus, nihil producere, quod maneat post actionem; aliquid tamen producere intimum ipsi actioni, & quod nomine ipso actionis appellari potest. Siquidem duobus modis actionis vocabulum accipitur: vno modo pro nuda, & sola actione, quæ pertinet propriè ad prædicamentum

mentum actionis: altero modo pro actione coniuncta est aliqua qualitate, quæ sit quasi terminus eius. Quomodo est infectionem actionem vocamus, cum ea tamen non sit simplex actio de prædicamento actionis, sed includat calorem aliquem acquisitum.

Ira igitur intellectio, & dilectio non nudæ sunt actiones, sed includunt etiam aliquid per modum qualitatis, quod sit quasi terminus actionis. alioqui si intellectio nuda esset actio, quomodo intelligens per intellectionem fieret finis rei intellectæ? Nõnne similitudo in forma, seu qualitate fundatur? Quare Philosophus non ait, per actiones immanentes nihil omnino produci, sed nihil produci, quod maneat post actionem; quemadmodum per actiones transeuntes producitur opus aliquod re distinctum ab actione, & quod perseverat post actionem.

Producitur igitur per intellectionem Verbum, per dilectionem Amor, quæ quidem in nobis accidentia sunt. Deo substantia, quoniam in Deo intelligere est ipsum esse, non autem in nobis. Quare S. Patres passim affirmant, Verbum unum Patrem ab æterno genuisse Verbum suum, quoniam ab æterno sapiens fuit. quod non dicerent, nisi crederent, per actum intellectus Verbum Dei produci. Vide Arthanazium serm. 1. 2. & 3. contra Arianos, Basilium lib. 4. in Eunomiam Nazianzenum lib. 3. de Theolog. Cyrillum lib. 1. thesaur. cap. 5. & lib. 12. cap. 7. Ambrosium lib. 4. de fide, cap. 4. & Augustinum lib. 6. Trinit. cap. 1. & lib. 7. cap. 1.

Nec raro etiam Patres disertè docent, Deum Verbum per intellectionem produci, vt Basilium hom. in initium Ioannis Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 5. Theodoretus lib. 2. ad Græcos & Damascenus lib. 1. cap. 6. Denique Augustinus serm. de Trinit. Filium sapientiam, Spiritum sanctum amorem appellat, & Concilium Toletanum XI. cap. 1.

Spiritum sanctum caritatem vocat.

